



Mathias ille anno 1524 apud Vangiones natus & educatus est. Ibi cum prima literarum fundamenta feliciter iecisset, sese Friburgum Brisgauri contulit, & in ea Academia in omni genere literarum adeo profecit, ut doctissimis uiris annumeraretur. Vnde etiam Magisterij laurea exornatus fuit. Inde quoque sacris literis incubuit, & earum usum sibi familiarem reddidit. Cum is Friburgi esset, mecum per D. Mathiam Vuertuein comilitonem olim Heydelbergæ familiaritatem contraxit, quam uterque illæsam ad præsentem usque diem conseruauimus. Deprehendi etiam ipsum esse hominem syncerum, pium, & multa eruditione conspicuū, qui plus habeat in recessu, quam frōte polliceatur. Itaque factum ut proceres eius Academiæ primò Friburgi contubernio præfererint.

In eo cum iuuentutem ad studia & uirtutes pelliceret, Anno 1552 pastor Eheingensis in Sueuia constitutus est. Ibi cum per decennium magna laude uixisset, Vuormatiam uocatur, & in cathedrali ecclesia Ecclesiastes Catholicorum constituitur, anno 1562. Is cum in mea per Germaniam peregrinatione euenissem, me amicū ueterem humaniter suscepit, et omnis generis officia exhibuit. Intellexi etiā tum, quod reuerendis. Spirensis Episcopus cum eo agere cœpisset, quod ipsum suum in spiritalibus Vicarium & Suffraganeum ordinaret, quam quidem prouinciam Mathias ob multas corporis & animi uirtutes, optimè expedire posset. Anonymos.